

P V I S

1 6 1 8




- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugenhageni distributio Methodica Historie passionis Christi.
- IV. D. Garzæ Index Concionum Pœnitentiarum.
- V. D. Garzæ Delinatio Concionum Pœnitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Jubilæi evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Professoris Francofurtensis Disputatio Theologica.
- X. M. Sachsi Disquisitio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bœmiam et Ungaricum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Golemi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolfgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Fusseli Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
de Deo.
- XIX.
de Peccato.
- XX.
de Peccato.
- XXI.
de Peccato in Conversione Homini Concurrentia.
- XXII.
de Justificatione.
- XXIII.
de Bonis Operibus.
- XXIV.
de Ecclesia.

Maa 15.

- XXV. M. Theopoldi de Sacramentis in genere;
 XXVI. de Poenitentia.
 XXVII. M. Hesselheimi Antidota Gotlemi opposita.
 XXVIII. P. Meyneri Disputatio de Ceteris suis.
 XXIX. De Ponis vere Infinitis Humanae Christi Na-
 turae Communicationis.
 XXX. Alia Axioma inter Ethnicum, Christianum &
 Iudaeum nota.

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATUS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECAE ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.



^{XVII.}
T H E S E S

17
DE IVSTICIA ET IV-
STIFICATIONE, SECVNDVM
DOCTRINAM EVAN-
GELII:

De quibus, aspirante Dei gratiâ,

P R Æ S I D E

M. WOLFGANGO AM-
LINGO, SERVESTÆ AD B. NICOL.
PASTORE, ET SS. THEOLOGIAE
IN ILLVSTRI GYMNASIO
PROFESSORE:

Respondebit

PAVLVS RHOLEDER, ME-
RINGENSIS: THEOLOHIAE
Studiosus;

Horâ VIII. die XVIII. Febr. Anno
M. DC. III.



Scruetz excudebat Iohannes Schler, Anno 1603.



ΠΕΡΙΚΟΠΗ ΤΗΣ ΗΜΩΝ
δικαίωσης.

Προϊκε δίδωσι ΠΑΤΗΡ, ΠΑΙΣ κτήσεται, Πνεῦμα δ' ἐρείδει
Δεξαμνή πίστις χεῖρ μόνη, ἔργα λαλεῖ.

*Dat Genitor, meruit Genitus, firmatq, salutem
Spiritus, una fides hanc capit, acta probant.*



DE IUSTITIA ET IUSTI-
ficatione secundum doctrinam
Euangelij.

I.

PROPRIVS AC PRÆCIPV-
us Euangelij locus est, de iustificatio-
ne, de quo præclare dicitur: Stante
hoc articulo, stat & floret Ecclesia:
Hoc verò convulso & labefactato, tā-
quam fundamento, ruit ædificium
Ecclesiæ.

II. Nam hic locus præcipue illu-
strat gloriam Christi; declarat, quæ sint beneficia, quæ
proprie per Christum nobis donata sunt; proponit firmam
consolationem conscientijs; damnat impios cultus, qui
excogitantur ab hominibus, ut satisfaciant pro peccatis.

III. E regione ostendit vera exercitia fidei, & veros cul-
tus; docet, quæ sit vera invocatio, & quomodo Deo pla-
ceat; deniq; discernit Ecclesiam à ceteris gentibus & se-
ctis in toto genere humano.

IV. Danda igitur est opera, vt hic articulus non solùm
purè retineatur; verùm etiam planè, secundum sacræ scri-
pturæ canonem, intelligatur. Veram autem eiusdem sen-
tentiam explicamus, vt sequitur.

V. Iustificari hoc loco, secundum doctrinam Euangelij,
non significat iustum effici, seu infusâ iusticiâ alterari, aut
essentiali

A 2

essentiali

essentiali iusticiâ indui; sed absolvi & iustum pronounciari
(Luc. 18. 14. Rom. 4. 5.) dum videlicet peccata nobis re-
conciliatis non imputata (2. Cor. 5. 19.) gratis remittun-
tur (Luc. 1. 77.) propter meritum Christi fide apprehen-
sum (Phil. 3. 9.) vocabulo ex Hebræorum idiotismo è foro
foli (vt loquuntur) ad forum poli translato. Exod. 23. 7.
Deut. 25. 1. Psal. 82. 3. Prouerb. 17. 15.

V I. Distinguenda igitur est ab hac significatione vocabuli
iustificationis, altera illa, qua nonnunquã in sacris literis
verbũ IVSTIFICARI ponitur pro iustũ agnosci ac decla-
rari; Vt, cum Deus dicitur iustificari in sermonibus suis;
Psal. 51. 6. cum mandata Dei dicuntur iustificata: Psal. 119.
9. cum publicani dicuntur iustificasse Deum: Luc. 7. 29.
cum Christus dicitur iustificatus esse Spiritu: 1. Tim. 3. 16.
cum non auditores, sed factores legis dicuntur iustificari;
Rom. 2. 13. cum sapientia dicitur iustificata esse à filiis suis:
Matth. 11. 19. Luc. 7. 35. cum Iacobus dicit, ex operibus nos
iustificari, id est, iustos declarari. Iacob. 2. 24.

V II. Iustificatio enim hominis coram Deo est ipsa pec-
catorum remissio, seu impletæ legis imputatio propter me-
ritum Christi, seu acceptio remissionis peccatorum & re-
conciliationis, siue acceptationis gratuita, & imputationis
iusticiæ propter Christum Mediatorem & satisfactorem:
quæ cum fide accipitur, verissimum est, simul Filium Dei
corda viuificare, id est, dicere consolationem in cordibus
per Euangelium, & Spiritu sancto accendere tales motus,
qualis est ipse, hoc est, motus nouos, cum voluntate Dei in
lege expressa congruentes; secundum illud; Dabo legem
meam in corda eorum. Ierem. 31. 33.

V III. Hæc omnia complectitur articulus Symboli:
C R E D O remissionem peccatorum, quæ Apostolo ex
Psalmo 32. est ipsa iusticiæ imputatio: Roma. 4. 6. 7. Item
ἀποκατάστασις, seu reconciliatio cum Deo. Rom. 5. 10 & c. 10. 15.
Immo in posteriore ad Corinth. 5. (versib. 18. 19. 20.) hanc sum-
mam

mam esse dicit ministerij & legationis (τῆς πρεσβείας ἢ ἀποστολικῆς) Euangelicæ, vt reconciliemur Deo, quia ipse nos per Christum velit in gratiam recipere (μὴ λογιζόμεθα τὰ παραπτώματα) non imputando nobis peccata. Deniq; acceptionis voce vtitur Ephes. 1. 6. cum testatur, Deum nos gratia sua acceptos sibi efficere, in Christo dilecto: ἐν τῇ χάριτι αὐτῆς, inquit, ἐν ἣ ἡ χάρις ἔωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἡγαπημένῳ. Hæc collatio phrasium Apostoli æquipollentium non modo genuinam interpretationem vocabuli iustificationis ostendit, sed etiam definitionem rei illustrat, siue rem ipsam, qualis sit, describit.

IX. Ceterum definitionis forma non est partialis, sed causalis. Generi enim, quod est actio reciproca inter remittentem peccata, & recipientem τῶν τῶν ἀμαρτιῶν ἀφεσιν, additur differentia, ex causis & effectibus petita.

X. Perinde vt Apostolus ipse, quasi definitionem causalem constituens, inquit: Νυνὶ ἡ χάρις νόμος δικαιοσύνης θεῶν πεφανέρωται, μαρτυρημένη ὑπὸ τοῦ νόμου ἢ τῶν προφητῶν. δικαιοσύνη ἡ θεῶν ἀπὸ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας ἢ ὑπὲρ πάντας οὖν πιστεύοντας, Rom. 3. 21. 22.

XI. Significat enim, se loqui de iusticia, sine quidem lege, id est, neq; voce legis per se, aut immediatè patefacta, neq; propter legem, seu merita legalia, seu conditionem operum nostrorum data; Veruntamen testimonio (cuius vocis hinc, vt & in concione Petri ad Cornelium, Actor. 10. 4. singularis emphasis est) legis ac Prophetarum: hoc est, omnibus tum promissionibus, tum vaticiniis de Messia, tum miraculis veteris testamenti, tum ipsis etiam typis sacrificiorum, & reliquarum ceremoniarum Leuiticarum, immò sine quoq; ac scopo Decalogi comprobata.

XII. Nominat autem primùm causam efficientem, κατ' ἐξοχήν Dei iusticiam vocans, qua videlicet nos DEVS reputat iustos, id est, habentes remissionem peccatorum & acceptos Deo ad vitam æternam.

XIII. Deinde & causam impulsivam exprimit, cum nō tantum legis opera, seu legē ipsam (phrasi exclusivā, χωρὶς νόμου) remouet, quæ non sunt meritum iusticiæ nostræ, sed etiam expressè Christi mentionem facit.

XIV. Causam deniq; instrumentalem, qua fit applicatio, describit, cum dicit, hanc iusticiam accipi fide: Et qui sint illi, qui eam accipiunt, hac clausula docet: In & super omnes credentes. Quasi dicat: Omnis hinc prosopolepsia excluditur, nec est distinctio. Πάντες γὰρ ἡμαρτῶν, καὶ ὑπερέβησαν τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Rom. 3. 23.

XV. Sed & paulò post sententiam suam rursus multò clariùs Apostolus ostendit hisce verbis: Iustificamur GRATIS (δωρεάν, τῆ αὐτῆ χάριτι) id est, eius gratiâ, per redemptionem factam in Christo Iesu: quem proposuit Deus, ut esset propitiatio seu placamentum (ἰλασίην) per Fidem in sanguine ipsius, &c. Rom. 3. 24. 25.

XVI. Vbi ambæ particulæ, GRATIS & GRATIA, id est, per misericordiam ipsius, exclusivæ sunt, omnemq; nostram dignitatem à merito iustificationis remouent.

XVII. Deinde meritum ipsum nominatur, quod est pro nostris peccatis satisfactio; videlicet, redemptio per Christum facta, quem constituit Deus propitiatorem, mirabili & innarrabili temperamento iusticiæ & misericordiæ,

XVIII. Inprimis verò, quomodo ad singulos applicatio beneficij Mediatoris fiat, exprimitur hac particula, quæ magni ponderis ac momenti est: Per Fidem in sanguine eius.

XIX. Postremò & causa formalis iustificationis describitur, ad ostendendam iusticiam suam per remissionē peccatorum.

XX. Et hæc quidem principalis propositio est apud Paulum de iusticia Fidei, cum qua præsens hæc nostra explicatio congruit, quam etiam secundum eiusdem tanquā
nor-

normæ analogiam, exclusâ omni calumnia & sophistica,
piè candidèq; intelligi & accipi volumus.

XXI. Differunt autè certo respectu iusticia & iustifica-
tio. Iusticia enim propriè est impletio legis, seu conformi-
tas cum lege, vel inhærens subiecto, ut Adamo ante lapsum;
vel sanguine Christi Mediatoris acquisita seu parta, nobis
que à Deo per ac propter Filium, ad hunc vera cordis con-
triti fiducia confugientibus, ex merè gratuita misericordia
imputata. Vnde illa legalis siue operum; hæc Euangelica,
seu fidei iusticia dicitur.

XXII. At iustificatio est ipsa relatio, siue cogitatio &
ordinatio in voluntate Dei, siue λογισμός, id est, imputatio,
tribuens homini ante lapsum iusticiæ laudem, propter in-
nocentiam, seu integritatem naturæ inhærentem: post la-
plum verò propter Christi Mediatoris sacrificium creden-
tes à reatu absolvens, & ut non reos in gratiam recipiens

XXIII. Hanc relationem in verbo Iustificandi com-
præhendi, inde manifestum est, quia in eadem significatio-
ne utitur Apostolus verbis Reconciliari & iustificari, cum
inquit: Iustificati sanguine eius: Item, Reconciliati per
mortem eius, Rom. 5. 9. 10.

XXIV. Nec nisi nomine tenus hîc differunt (propriè
loquendo) λογισμός ἢ ἀφεσις, ὡς ἀπολύσιμα (quæ sic Dama-
scenus appellat) id est, vocabula diuerla eandem rem ex-
primentia. Vt enim remissio fontibus tanquam insontibus
condonat reatum poenæ: ita imputatio reum pro non
reo in gratiâ acceptat. Est q; illa peccati remissio, non quòd
non sit, sed quòd non imputetur peccatū. Pœ verò imputa-
tio est innocentia, non quòd in nobis simus innocentes,
sed quòd in Christo tales reputemur. Quem enim absoluit
Deus, eidem probabili ratione, propter Mediatorem scili-
cet (nec enim ex futilitate, sine iusta compensatione, re-
mittit peccata) imputat innocentiam: Et vice versa. Ex-
emplum habemus in absolutione Davidis. 2. Samuel. 12.
13. Et

113. Et mulieris peccatricis. Luc. 7. 47. 50. Item, publicani iustificati præ Phariseo tumido. Luc. 13. 14.

XXV. Hinc David, teste Apostolo, beatum prædicat hominem, cui Deus imputat iusticiam absq; operibus, hoc est, cuius remissæ sunt iniquitates, & testis peccata: siue cui non imputat DOMINVS peccatum. Rom. 4. 6. 7. 8. Ps. 32. 12.

XXVI. Dicitur autem remittere peccata Deus, desinens irasci peccatis, seu præteritis, seu præsentibus. Deinde regi peccata, est, Mediatorem esse umbraculum, ne effundatur in nos ira Dei, id est, ne consumamur vel corporali, vel æterna pœna: secundum dicta: Non estis sub LEGE, sed sub GRATIA. Rom. 6. 14. Item, Misericordiæ DOMINI, quod non consumti sumus. Thren. 3. 22. Deniq; non imputare peccata, est non cogitare aut decernere, quod ille credens sit puniendus æterna pœna, quanquam & antea deliquit, & adhuc sunt in eo sordes, quasi dicat, non exprobrare peccata, nec accusare hominem tanquam reum æternæ pœnæ.

XXVII. Causa efficiens consideratur bifariam. Primum ratione Deitatis mittentis. Nam etiam huc accommodari potest Nazianzeni illud: *ἀλλ' ὁ φύσις, ἀλλ' ὁ οἰκονομίας λόγος*. Est enim iustificatio nostri coram Deo, opus Dei externum, ac proinde toti Trinitati commune, servato tamen operandi ordine, secundum personæ cuiusq; proprietatē. Secundum illud: Isai. 43. 25. Ego, Ego ipse (inquit DOMINVS) deleo defectiones tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordor. *Εγὼ εἶμι αὐτὸς, ὁ ἐξαλείφων τὰς αἰνομίας σου ἐνεκεν ἐμοῦ, καὶ τὰς ἀμαρτίας σου, καὶ ἢ μὴ μνησθήσομαι*. Psalm. 103. 3. Marc. 2. 7. Luc. 5. 21. Rom. 8. 33. Deinde ratione personæ missæ. Atq; ita Filius Dei nominatim est, diciturq; generis humani Mediator, Redemptor, Iustificator, & Salvator. Matth. 1. 21. & cap. 9. 6. Marc. 2. 10. Luc. 5. 24. Actor. 4. 12. Item 1. Corinth. 6. 11.

XXVIII. Simul

XXVIII. Simul autem (ut hoc obiter aspergamus) oraculum illud Iesaiæ τὸ ἐμοῦσιον sacrosanctæ Trinitatis suaviter confirmat & illustrat: tum ratione eiusdem beneficii seu operis: secundum axioma catholicum: ὡν ἡ ἐστέργα ἡ αὐτῆ, ἡ αὐτῆ ἐστὶ καὶ ἡ δυνάμις, καὶ ἡ φύσις: & vice versa: saluo tamen personarum distincto agendi modo: tum quia soli Iehouæ competit iustificatio impij, Rom. 4. 5. sive remissio peccati. Marc. 2. 7. Luc. 5. 21. Ergo Patris, Filij, & Spiritus sancti vna est Deitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

XXIX. Causa impulsiva consideratur vel in Deo, vel extra Deum. Illa προηγουμένη, quasi dicas, antecedens interior: Hæc προκαταρκτική, id est, excitatrix, seu irritatrix exterior appellatur.

XXX. Intus enim permovet Deum immensa erga genus humanum misericordia & dilectio (Ioh. 3. 16. Rom. 5. 8. Ephes. 1. 6.) absolvens nos à reatu propter Christum, quæ Paulus vocabulo GRATIÆ, seu τῆς χάριτος (Ephes. 2. 8.) intelligit, quæ illi non est qualitas in nobis, siue χάρισμα (1. Corinth. 12. 4.) licet ἡ χάρις ᾖ θεῶν, καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι, id est, gratia Dei, & donum per gratiam (Rom. 5. 15.) siue (ut Evangelista loquitur: Iohan. 1. 17.) ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια, διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ ἡγομένη, id est, gratia & veritas per Iesum Christum facta, distingui cùm debeant, divelli tamen à se mutuò, aut separari nec debeant, nec possint.

XXXI. προκαταρκτική siue impulsiva externa partim in nobis est: Moles videlicet ista miseriarum nostrarum, quæ nos, nisi aliunde subleuatos, pessundaret: Ies. 43. 24. 25. Ezech. 16. Rom. 11. 32. partim extra nos: Filij nimirum pro nobis intercessio & humiliatio. 1. Ioh. 2. 1.

XXXII. Materialis est sacrificium obœdientix, sua natura, hoc est, per se, & pro se indebitæ (aliàs enim ratio meriti, & lytri, seu precij pro nobis evanesceret) quod agnus ille Dei (vnigenitus Patris) tollens peccatum mundi, voluit quidem ab initio (ideòq; ab initio maectari dicitur, Apoc. cal.

B

cal.

Vide Cat
Catechiz
Haidelber
Dominica
15. fol.
14.

cal. 13. 3.) & per totum exinanitionis curriculum seu statum
praestitit (Plal. 49. 8. 9 Ies. 53. 4. Iohan. 17. 19. Ephel. 2. 16. Itē,
1 Petr. 1. 18. 19.) re ipsa verò compleuit in ara demum crucis,
iure nullo, nisi Sponsorio, adeoq; merè voluntario & spon-
taneo, siue vt fidejussor, ad istud obligatus: quo nomine ab
agno typico, qui nec intelligens, nec volens, nec spondens
maetabatur, habens se purè passiuè, ὡς ζῶον ἄλογον, quàm
longissimè differt noster ille agnus, per cuius Vnius obœ-
dientiam (Rom. 5. 19) qua per se mortis non reus, volens &
spontè (ὡς ἐρὲς ἢ ἀντὶ ἡμῶν) pro nobis, id est, nostro loco, κα-
τὰ ἑαυτὸν ἡμεῶν (Gal. 3. 13.) semetipsum pro peccatis nostris
æterno Patri obtulit, data sua ipsius anima pro nobis in re-
demtionis precium seu λύτρον (Matt. 20. 28. Marc. 10. 45.)
factusq; obœdiens vsq; ad mortem, mortem autem crucis
(Phil. 2. 8.) Iusti constituuntur omnes credentes (Iohan. 3.
15. 16.) imputatione nimirum illius meriti.

XXXIII. Factus est enim deprecator & fidejussor Filius
Dei, tum pro præuaricationis nostræ culpa, cuius poenam
in se recepit, nostroq; loco luit (Huius meriti imputatio-
ne nos absolvimur, hoc est, iusti reputamur) tum pro amif-
sæ integritatis restitutione in nobis, per Spiritus sui nos re-
generantis efficaciam, quæ se exerit, hic incoando pristi-
nam obœdientiam, cuius debitum æternum manet, in al-
tera demum vita perficiendo. Atq; ita re ipsa tandem, etiã
IN NOBIS, iusti erimus, ut desinamus aliquando DEVM
effendere.

XXXIV. Hinc & merito & efficacia iustificator noster
est diciturq; Christus Iesus. Merito pro nobis, ut absolua-
mur à reatu iræ Dei & condemnationis sempiternæ: Efficacia
in nobis, ne in infinitum ruamus contra obœdientiam
Deo debitam, sed vt ius legis (τὸ εὐ νόμος δικαίωμα, secundum
Apostolū) etiam IN NOBIS (ἐν ἡμῶν) compleatur. Rom. 8. 4.
XXXV. Interea τὸ λύτρον (licet in tempore præstiti, & iam
pridem consummati, secundum Domini in agone vocem
πιστοί-

πιστοτάτων, Ἐπάσης δωροδοχῆς ἀξιοτάτων, quæ nobis gratissimæ
apochæ & sempiterni trophæi loco est, τεπέλεσται. Ioh. 19. 30.)
Valor manet εἰς τὸ διηνεκές (Hebr. 10. 12.) non ex solutionis
actu, qui fuit certi temporis, sed ex soluentis inæstimabili
dignitate, & maiestate immensa æstimandi scilicet.

XXXVI. In finitis enim modis lytri valor superat debi-
tum; cum soluens non tantum, quæ homo, re & actu pu-
rus sit & integer: ὅσιος, ἀκακός, ἀμίαντος, &c. Heb. 7. 26. (Talis
enim nos decebat δέχμερος, & fidei iussor, tum ne reijceretur
à lege, tum ut in semetipso nobis præberet ὑπογραμμὸν re-
quisitæ à nobis conformitatis, seu τῆς ἡμεῶν ὁμοιωσεως) verum
etiam, cum Patre & Spiritu Sancto, μόνῳ ἀληθινός, ἢ
τῆ φύσει Ἰπὶ πάντων θεός, ἢ πάντων κύριος, βασιλεὺς βασιλείων, &
κύριος κυρίων, ὁ πρῶτος ἢ ὁ ἔσχατος, εὐλογητὸς εἰς ὄναι αἰῶνας. 1.
Ioh. 5. 20. Rom. 9. 5. Apoc. 2. 8. & cap. 19. 16.

XXXVII. Causa instrumentalis seu organica etiam bi-
fariam consideratur. Alia est enim respectu Dei iustifican-
tis, nimirum Christus ipse. Ioha 3. 16, Ephes 2. 18. Et 1. Co-
rint. 1. 30. Nam & propter eum, & per eum à reatu absol-
uimur, Rom. 3. 24. Alia respectu nostri, Fides, quæ à Spiri-
tu sancto in corde nostro per vocem Euangelij accensa,
SOLA (χωρὶς ἔργων νόμου) absq; operibus legis, licet nun-
quam sit sola (nec enim nisi ratione καυχήσεως, & proprij
meriti excluduntur opera nostra: Rom 3. 27. 28. 31. Ephes.
2. 9.) remissionem peccatorum, reconciliationem, & iusti-
ciam, GRATIS propter meritum Christi oblatam, appræ-
hendit, sibiq; applicat. Rom 3. 28. Iustificat enim fides non
absolutè considerata, ut qualitas in nobis, sed relatè, rati-
one termini, hoc est, ut appræhendrix sacrificij Mediatoris,
in quo solo acquiescit. Rom. 4. 16. & cap. 5. 2. Ephes. 2. 18. &
cap. 3. 12.

XXXVIII. Atq; hæc propositio: FIDE IUSTIFICA-
MVR, in sua simplici & germana significatione, semper est
exclusiva, etiamsi nõ addatur particula SOLA. Quia Fides
(phrasi scripturæ) est fiducia alienæ rei, nēpe milericordiæ

Dei excludens fiduciam cuiuslibet nostræ qualitatis aut operis.

XXXIX. Proinde simpliciter idem significant: Fide iustificamur: Et, SOLA FIDE iustificamur. Et hæc iustificatio ideo traditur in Euangelio, ut in terroribus conscientie sciamus, quomodo cum Deo agere debeamus: videlicet, ut semper apprehendamus misericordiam, per ac propter filium Mediatorē, cuius quasi vulneribus se involuit, eiusque meritum sibi applicat Fides, promissam. Hoc igitur est, Fide iustificari: confugere ad illam misericordiam, & statuere, quod sit certā, non tantum alijs, verum nominatim etiam TIBI.

XL. Propositio enim: Fide sumus iusti, non aliter, quam correlatiue debet intelligi; id est, per misericordiam, propter solius Filij Dei sacrificium seu meritum, sumus reconciliati Deo: Et hoc fide accipi, seu statui oportet, ut voluntas acquiescat in proposito propitiatore.

XLI. Neque concedenda est synecdoche, quasi Fide iustificari dicamur, ideò quia Fides incoet renouationem, ceterum homines re ipsa iustos esse propter sequentem vel adhaerentem dilectionem. Nam Synecdoche non comprehendit pugnantia. Ideo enim Fide hoc est, apprehensioni misericordie, tribuitur iustificatio, quia adimitur nostris operibus, & ne incertamine conscientie, luctantis cum iudicio Dei, evanescat consolatio.

XLII. Formale iustificationis non est infusio novarum virtutum, seu effectio novitatis in nobis: ut, si calefactionem dicas esse acquisitionem caloris: Sed est λογισμός, seu imputatio innocentie, propter sacrificium ab agno Dei, in ara crucis pro nobis mactato, præstitum: Atque ita remissio peccati (ἀφεσις ἢ πάρεσις τῆς ἀμαρτίας) ne imputetur nobis (εἰς κατάρω) in execrationem seu condemnationem. Christus enim nos redemit (ἐκ τῆς κατάρως ἑξιόν) ab execratione seu maledicto legis, dum pro nobis tactus ipse est execratio

cratio seu maledictum. Ac proinde propter Sponso-
ris pro nobis effusum sanguinem nos à reatu æternæ mortis
abolvimur. 1. Joh. 1. 7. Solus enim Iesu Christi, Filii Dei,
sanguis (quo συνεκδοχικῶς tota ipsius VERBI incarnati
κένωσις & συνγενεσις intelligitur) purgat nos ab omni pec-
cato. 1. Joh. 1. 7. Et absq; sanguinis effusione (χαρὶς αἵματεκ-
χυπις) non fit remissio Hebr. 9. 22. Totius ergo fiducia
nostræ certitudo (vt rectè monet Augustinus, in libr. me-
ditationum) solus Christi sanguine niti debet. Rom. 3. 25.

XLIII. Modus, nos concernens, in apprehendentis me-
ritum Christi applicatione consistit, quæ fit per fidem ho-
minis seriò resipiscens, hoc est, in veris doloribus & pa-
voribus conscientia confugientis ad solius Christi meritum,
exclusa omnium propriæ dignitatis fiducia, tum securita-
te & hypocrisi, tum diffidentia, tum imaginatione raptus
Enthusiastici. Atq; ita applicatio illa fidei simul nobis in cō-
scientia nostra est patefactio (Φανερώσις, ἀποκάλυψις, & ἐνδει-
ξις) iustificationis nostri coram Deo.

XLIV. Homo enim in conversionis (extra quam, certum
est, non fieri, neq; accipi iustificationem, seu remissionem
peccatorum, qua assidue indigemus) tum initio, tum in-
crementis (tota siquidem vita nostra debet esse continua
ad Deum conversio) id est, in veris doloribus & pavoribus
conscientia, cum non habeat, ubi conquiescat, nisi in agno-
Dei, qui gestat & tollit peccatum mundi (1. Joh. 1. 29) verè
accipit remissionem peccatorum propter Mediatorem, Fi-
lium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum ac
hominem, gratis, sola fide, non propter dignitatem, seu vir-
tutes proprias, aut propria opera seu merita. Et in his pa-
voribus semper sit in conspectu discrimen Legis atq; Euā-
gelij: & sciamus, æternum ac immutabile Dei mandatum
esse, ut credamus, nos recipi per & propter Filium: secun-
dum dictum: Vivo ego (dicit DOMINVS) nolo mortem
peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Ezech. 33. 11 Item:

Gratia exuberat supra delictum, Rom. 5. 20. ἡ χάρις ὑπερπερισσεύει τὴν ἁμαρτίαν, ὑπερπερισσεύει ἡ χάρις.

XLV. Finalis causa iustificationis duplex est: principalis altera, siue primaria, respectu Dei, quæ est iusticiæ ipsius in Filii Θεοῦ perfecta satisfactione, & misericordiæ in generis humani redemptione illustratio: vt, sicut scriptum est, qui gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Cor. 1 v. ult. Jerem. 9. 24. Altera subordinata, & quasi secundaria, respectu nostri, quæ est salus & vita æterna: Rom. 11. 16. 17. Huius enim finis ultimus consistit in illustratione gloriæ Dei, 1. Petr. 1. 9.

XLVI. Effectus iustificationis, respectu Dei, est illa ipsa gloriæ Dei, summè iusti ac misericordis, assertio & illustratio; In nobis verò tranquillitas conscientiæ, Rom. 5. 1. studiumq; vitæ novæ, quæ Deo grata sit: In qua vitæ nouitate (quæ est ipsa vivificatio cordis, sequens ordine, tempore semper cum remissione peccatorum, siue iustificatione peccatoris gratuita, ex vi correlatiuorum, coniuncta) lucet iusticia renatis subiectivè inhærens, habitualis vulgò dicta, paulatim nos Filio Dei reddens conformes; per regenerationem scilicet, aut sanctificationem, in iustificatis per fidem, hinc incoata, perficienda demum in altero seculo. 2. Cor. 3. 18.

XLVII. Revera enim hæc incoata in nobis iusticia est ipsa sanctificatio & vivificatio, Deiq; in cordibus nostris per Spiritus sancti efficaciam & operationem inhabitatio; in qua tamen semper statuendum est, nos iustos, id est, acceptos Deo esse ac manere, propter solius Mediatoris sacrificium, seu ἀντιλήθη, aut meritum, quo necesse est regi & obumbrari nostram immundiciem atq; reliquias peccati, quæ perpetuò in hac vita nobis adhærent. Vnde quotidie adhuc clamamus cum omnibus sanctis: Remitte nobis debita nostra. Item: Ne intres cum seruo tuo in iudiciū DOMINE, quia coram te, siue in conspectu tuo, non iustificabitur OMNIS VIVENS, Plal 143. 2. Exod. 34. 7.

XLVIII. Iusti-

XLVIII. Iustificationis adiunctum est perseverantiæ donum, Redempti enim & abluti sanguine Filij DEI, Christi Iesu, fideq; eidem, ut viti vitæ verè ac intimè inserti, licet in continua carnis aduersus Spiritum lucta hæreant, ita ut interdum succumbere Spiritus videatur: nunquam tamen totaliter, nedum finaliter (ut docendi causa terminis illis utamur) gratia Seruatoris excidunt: qui suis quasi manum subternit in lapsu, ne prorsus fide deficiente collidantur, sed ut per seriam resipiscentiam rursus erecti custodiantur ad salutem, quæ parata est patefieri tempore ultimo. 1. Pet.

1, 5. Psalm. 37. 24.

XLIX. Pugnancia cum doctrina de articulo Iustificationis, sunt prauæ opiniones & corrupti mores omnium eorum, qui sententiam, hætenus ex sacra scriptura declaratã, vel obsecurant, vel impugnant. Et quidem errorum istorum omnium fons atq; origo fuit, est, eritq; confusio Legis & Euangelij, aut alterutrius horum doctrinæ Christianæ summorum capitum abolitio.

*Precatiuncula monstrans praxin doctrinæ
de iustificatione.*

Χριστέ σάω με, σάω με, Θεός λόγε, πιστέ Σαῶτερ,
ἀμὲν Θεῶν, ψυχὴ δούσ ἴτερον αἰτὶ ἐμοῦ.

*Servos Christe tuos serua, Seruator Iesu,
Quos es mercatus sanguinis antilytro.*

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



H A C C A S T I
M A N E A N T I N
R E L L I G I O N E
N E P O T E S,

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.




3h 4245




X 22M138

VD17 AC







E S
A ET IV-
ECVNDVM
EVAN.

Dei gratia,

D E
NIGO AM-
AD B. NICOL:
HEOLOGIAE
MNASIO

E:
DER, ME-
LOHIAE

Febr. Anno

leer, Anno 1603.

17

